



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica

Gibbes, James Alban

Romae, 1668

In Athanasivm Kirchervm. De arte magna lucis & vmbræ. Ode XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13378

Amisit Hispanus patronam,
Indigetem peperitquè Diuam.

DE NECESSITATE MORTIS,
quæ omnibus est communis.

Ex occasione allati nuncij de præmatura morte Guilielmi fratris sui, Galassij Imp. tribuni, anno ætatis 22. Praga obita.

ODE XXXII.

V Rna mortales citat atra turmas,
Et senem miscet iuueni, & clienti
Principem, iustâ tenuesquè iungit
Lege superbis.

Quisquis insignis Tyriâ-refulget
Purpurâ, quisquis fera vibrat arma,
Exuet coccum, rigidamquè Martis
Exuet hastam.

Mille quem cingunt famuli tyrannum,
Sortis ignarus dubiæ, seueras
Æaci voces, metuetquè cruda
Iudicis ora.

IN ATHANASIVM KIRCHERVM.

De arte magna lucis & ombra.

ODE XXXIII.

Q Vicquid per omnem Delius ambitum
Cœliquè, terræquè, & maris, & Stygis,
Fulgente configat sagittâ

Purpureum iaculatus ignem;
Et, quæ beatissimis exultat arcibus,
Regina noctis, quantum Hecate triceps

Cum plebe stellarum, soporis
 Possit equis, piceoque curru ;
 Tum quid Lyceum, doctaque Pergama ,
 Vel Thuscus augur, vel Babylonius ,
 Colchiuè messorum veneni
 Eliciant facibus gemellis ;
 Mirè disertus prodigus eloqui ,
KIRCHER, narras ; atque scientiam
 Expertus, incedis per orbem
 Sidereæ fabricator artis .
 Non Archimedi notior ætheris
 Crystallus olim : nec radio globum
 Terræ Phalantæus redemptor
 Scripserat imperiosiore .
 Posthæc nefas depromere fabulam
 Gibbi sub axes Amphitryonidis ;
 Comparque sublatis columnæ
 Risibus excipietur Afer .
 Tu quippè celsæ pegmata curiæ
 Fers itretorto vertice sanitis ,
 Rodente successoris ambos
 Inuidiâ Telamonas atrâ .
 Fraternalis summi regna etiam Iouis ,
 Ac Magna mater, quæ patet undique ,
 Carcerque ventorum infrementum, &
 Præcipites Phaëthontis oræ ,
 Quandoque mandas, se tibi cardine
 Toto recludunt . Dædala conscium
 Natura te confessa rerum ,
 Exiguum penetrabile culpat .
 Ergò fauenti luceat alite
 Ars magna mundo, nec speciem pigræ
 Affectet umbra, ni magistris
 Instituat populos tenebris .